



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



DISPUTATIO SEXTA
In Augustanam Confessionem
continens

ANTIΘΕΣΙΝ ARTICULI III.

De

UNIONE HYPO-
STATICA,

Proposita

In Electorali Academiâ wittebergensi,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI, S.S. Th.

Doctore & Professore Publ.

R E S P O N D E N T E

GEORGIO HEUBERO

Anspachio Franco.

In Auditorio Minori ad diem

12. Octobr.

WITTEBERGÆ

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,

ANNO M DC XXVIII.

DISPUTATIO SEPTIMA
In Augustinum Confessionem
composita
AUCTORIS R. P. MARTINI
D. C. MARTINI
UNIONE HYPO
STATICA
P. R. S. I. D. A.
JACOBO MARTINI S. I. P.
GEOORGIO HUBERO
M. D. C. XXVIII





CONTINUATIO.

Ræcedente Disputatione Thes. 9. diximus, tractationem Articuli de Persona Christi in Augustana Confessione nostra esse ὁμοιογενῆ, sine additâ ἀντιθέσιν: partim quod nulla tum inter Confessores & Ecclesiam Romanam, de capite hoc movebatur controversia: partim quod de nullâ hæresi constabat, cujus suspicio necessariò amolienda erat. Quia verò hodiè sine fronte & pudore Lojolita publicè calumniantur, nos ab Augustana Confessione, & quidem cum primis ab hoc articulo, descivisse, ἀντιθέσιν tractatio maximè necessaria est. Hâc verò contradici quidem posset, & vetustioribus hæresibus, nempe Nestorianismo & Eutychianismo: & recentioribus, utpote Calvinismo, Jesuitismo, & Photinianismo: habitâ tamen instituti nostri ratione, tantum de Jesuitismo agemus, demonstraturi, non nos à Confessione Augustanâ, sed Jesuitas à doctrina hâc, olim à Pontificiis approbata, longè recessisse, ac revera Nestorii errorem hodiè tueri, novasque absurditates & contradictiones implicare, quicquid etiam prætexant.

THESES.

I.

Tempore exhibitæ Augustanæ Confessionis crediderunt Pontificii & nobiscum docuerunt: In Christo duas naturas; Divinam & Humanam, personaliter unitas: imò ab ipsa Deitate, ut quidam locuti sunt, humanam naturam assumptam esse.

II. Id hodiè Jesuitæ vel negant, vel sibi turpiter contradicunt.

III. Negant, dum statuunt ac docent, non Naturam, sed Personam divinam cum humana natura unitam esse. Sic enim Martinus Becanus capituli sexti de Christo titulum fecit: *De Christo, qui est adequatus terminus unionis hypostaticæ, resultans ex persona assumente & natura assumpta.* Et ibid. in initio c. 4. facit hujus unionis duo extrema inter se unita: non divinam naturam & humanam: sed hanc & Personam Verbi, quando ait: *Nunc agendum est de duobus extremis, quæ inter se uniuntur, nempe de Persona Verbi assumente, & de humanitate Christi assumpta.* Et caput præced. 3. inscribit: *De assumptione humanitatis ad Personam Verbi.* Et ib. cap. 10. q. 1. *Unio hypostatica hoc efficit, ut natura humana immediatè uniatur Personæ verbi.* Ex quibus omnibus intelligitur, Becanum humanæ naturæ nihil amplius tribuere, quàm subsistentiam in λόγῳ sive in persona verbi sustentationem.

IV. Sed, inquis, addi ibidem à Becano & quidem proximis subsequenter verbis: *Et consequenter, ut dua nature, Divina & Humana, uniantur in eadem persona Verbi, & in illa subsistant.*

V. Dixi, Becanum & Jesuitas cæteros aut negare unionem duarum naturarum, aut sibi contradicere: & sic rursus contradicendo eam inficiari. Quod sibi contradicant patet 1. quia statuit Becanus, ut & Gregorius de Valentia lib. 1. de vera Christi præsent. c. 3. Personam verbi & naturam verbi re idem esse: unde sic argumentamur: Quæcunq̄ue re ipsâ idem sunt, illorum unum per alterum, tanquam medium, non potest uniri tertio realiter distincto: Atqui hypostasis verbi & natura divina verbi re ipsâ idem sunt, & vix ratione distinguuntur: Ergò divina natura non est mediante personâ unita humanæ naturæ, vel contra. Quod contradicit assertioni Becani jam allegatæ.

VI. Excipis, Becanum non dicere, quod humana natura uniatur divinæ mediante persona, sed quod unionem humanæ naturæ cum persona sequatur unio duarum naturarum. Sed subsumo & concludo: Ergò sequitur rursus unio duarum natu-

naturarum, humanæ naturæ cum Persona unionem, ut vel per hanc & mediante hac sit: vel tanquam nova ex hac vel juxta hanc resulter. Si illud, manet illatum absurdum & contradictio: Si hoc, non est unio personalis: sed est nova unio ab illa distincta, illamque consequens. En duæ uniones: Absurdissimum!

VII. Quid? quod secundaria illa sive consequens unio naturarum propriè unio non sit: sed tantum nuda præsentia divinæ naturæ propter identitatem cum personalitate humanæ naturæ unita: Sicque tantum sit unio per concomitantiam, ac proinde humanitati nihil amplius unitum sit proximè & propriè, quàm subsistentia, non natura divina.

IIIX. Quandoquidem *ibid. cap. 7. q. 3. §. 5.* expressè scribit Becanus, *Divinitatis actum purum, æternitatem & independentiam, non posse humanitati uniri.* Unde concludimus: Ergò juxta Becanum essentia divina non potuit uniri; proindeque non unita est humanitati. Consequentia est certa. Nam actus purus, æternitas & independentia sunt in Deo ipsa Dei essentia.

IX. Tertiò: Cui attributa essentialia Dei non communicantur, illi neque essentia divina unitur: Atqui Humanitati essentialia Dei attributa non communicantur: Ergò neque humanitati essentia divina unitur. Major confirmatur: quia uniri & communicari Becano sunt synonyma, *ibid. cap. 7. q. 3. §. 5.* Minor est ipsius Becani *ibid.* Ergò & conclusio.

X. Quartò: Si Deitas in humanitate non habitat per se & formaliter, sed per aliquid, quod est idem cum Deitate: sequitur quod Deitas humanitati per se & formaliter non sit unita; Proindeque non personaliter unita: At prius dicit Becanus *ibid. c. 7. §. 8.* Ergò concedat oportet posterius. Nam connexio majoris est certa: Quod enim in aliquo non est formaliter, hoc est, secundum formalem suam rationem, illud etiam cum eo fortissima unione, qualis est hæc hypostatica, uniri nequit.

XI. Ubi interim notetur ambiguitas delitescens in termino *Formaliter*: Primùm enim intelligi potest de modo unionis,

A 3

quo

quo aliquid alteri communicatum esse dicitur formaliter, ita nimirum, ut communicatum intelligatur secundum suam formalem & essentialem rationem, ingredi in illius, cui communicatum esse dicitur, essentiam. Hoc modo si accipiatur, tum divina natura per unionem formaliter ingressa statuetur ipsam essentiam humanitatis. Isto verò modo Divinam naturam humanitati non unitam esse ultrò concedimus. Quandoquidem sequeretur inde vel divinam naturam humanitati $\chi\tau$ $\mu\epsilon\theta\epsilon\zeta\iota\nu$, & non $\chi\tau$ $\sigma\omega\delta\acute{\upsilon}\alpha\sigma\iota\nu$ unitam esse, illamque in hanc formaliter transfusam, & sic aut humanam naturam à divina absorptam, aut omninò naturarum transfusionem & confusionem factam esse: aut divinam naturam unitam esse humanitati non tantum personaliter, sed etiam essentialiter, ut anima cum corpore unita est, & unam essentiam nempe humanam naturam constituit. Atquiverò & hoc absurdissimum & planè $\alpha\delta\acute{\upsilon}\nu\alpha\tau\omega\nu$ est.

XII. Unio quidem humanitatis & Deitatis comparatur à Patribus & Doctoribus Ecclesiæ cum unione corporis & animæ, ut ab *Athanasio in Symbolo*, *Iustino in Expositione Fidei*, *Augustino epist. 57.* & aliis: Verum non est propterea planè ejusdem naturæ, ingenii, ac generis cum istâ. Unio enim hypostatica cum sit planè singularis, admirabilis & $\alpha\rho\rho\eta\tau\omicron$, non potest commodè à nobis explicari, nisi per quædam exempla, quæ tamen non in paucis sunt dissimilia, ut annotat *Damascen. lib. 3. c. 26.* *Hilarius lib. 10. de Trinitat.* *Augustin. Epist. 3. ad Volustianum.* $\text{Αδύνατον γὰρ (inquit Damascenus) ἐν πᾶσιν ὁμοίον εὑρεῖν ὁμοειδέσματα, ἢ τὴν τῆς θεολογίας, ἢ τὴν τῆς οἰκονομίας, scilicet carnis assumptæ.$

XIII. Deinde terminus *Formaliter* potest sumi & intelligi de ipsa essentia formalique natura, quæ cum altera unita est, quatenus nimirum aliquid adesse alteri in unione dicitur, non per formalem duntaxat rationem tertii adhærentis, quod cum illo primò unitum esse dicitur; sed etiam per propriam formalitatem, ita ut alterum, quo cū unitur, in unione non tantum attingat mediatè, nempe mediante tertio, quod suam formalem-

malem rationem solum adferat ad illam unionem: sed etiam ita, ut ad illam unionem etiam adferat suam propriam formalem rationem ac essentiam, quo non tantum, ut in praesenti exemplo, per vinculum hypostaticum & sic mediatè: sed etiam suam naturam, formalitate ac essentia illam unionem tangat & ingrediatur, & quidem propriè loquendo immediatè: nempe ingrediatur illam unionem divina etiam natura in ratione naturae non tantum in ratione adjunctae sive adhaerentis (ut secundum imaginationem & conceptum Becani & Jesuitarum impropriissimè loquamur) Personalitatis.

XIV. Dicimus ergo, quod similitudo unionis animae & corporis in homine & unionis duarum naturarum in Christo in eo consistat. 1. Ut corpus & anima constituunt unam personam, Hominem: Sic etiam Divina & Humana natura constituunt unam personam, Christum: 2. Ut substantiae actus originaliter est ab anima tanquam ab actu, sic etiam in Persona Christi Substantiae actus originaliter est à divina natura, tanquam ab actu simplicissimo & perfectissimo: 3. Ut anima suo actu formali & essentiali intimè tangit corpus, & non tantum per energiam: proindeque intimè perficit, seque communicat cum eo: sic quoque Divinitas suo actu personali & sic quoque formali & essentiali (cum hi actus re in Deitate non distinguantur, sed unus simplicissimus actus sint) in unione immediatè ac intimè tangit humanitatem, eamque intimè perficit, ideoque sese formaliter communicat cum illa. 4. Sicut anima formaliter operatur ac *ἐνεργείας* suas exercet in corpore & per corpus, *δύναμιν* & *ἐνεργείας* ei communicando: sic quoque Divinitas formaliter operatur, ac suas *ἐνεργείας* exercet in humanitate & per humanitatem, *δύναμιν* suam & *ἐνεργείας* communicando.

XV. In eo verò manet dissimilitudo: quod anima & corpus sint duae naturae imperfectae, proindeque essentialiter partes unius integrae naturae sive essentialiter: Humanitas verò ac Divinitas sunt duae naturae integrae & perfectae: proindeque ad unius naturae compositionem conjungi nequeunt.

XVI. Ubi

XVI. Ubi nihilominus notandū est: quod licet natura etiam humana in Persona Christi sit natura integra & perfecta: respectu tamen divinæ est imperfectissima: idq; duplici ratione: 1. quia natura divina est infinita, & sic absolutè perfecta, ut propterea nullo modo ac ratione ei aliqua imperfectio attribui queat: Natura verò humana est finita, ac proinde nequam absolutè, sed in certo genere perfecta, & propterea in respectu ad infinitam illam & absolutam perfectionem, imperfectionem in se habet, & imperfecta est. 2. quia ut absolutè perfecta est divina natura: sic etiam ultimum suum actum & perfectionem in se, & per se habet, quæ est Personalitas, vel personaliter subsistere: Natura verò humana in unionem cum divina natura veniens, illum ultimum actum & perfectionem in se & per se non habet; sed in & per illam unionem accipit à divina natura.

XVII. Undè rursus quædam oritur similitudo: Quemadmodum enim anima est actus perficiens corpus, tanquam materiam & potentiam, eique novum actum largiens: nempe quod non amplius sit absolutè corpus & materia: sed hujus animæ corpus ac materia; ita quoque Divinitas λόγος est actus perficiens humanitatem ultimam suam perfectione personali; eique novum actum largiens, nempe ut non sit absolutè, & sibi humanitas & sic in se homo subsistens; sed sit λόγος humanitas, & homo in Deo subsistens.

XVIII. Quare, ut diximus, primo modo quando terminus *Formaliter* accipitur, divinam naturam humanitati unitam esse negamus; posteriore verò quando sumitur, affirmamus. Quandoquidem terminus unitus non est formaliter Personalitas, ut vult Becanus, sed essentia divina, ut personalitate limitata est: Hæc enim se univit cum humanitate, illi suam ultimam perfectionem & sic se ipsam communicando: Quia enim Divinitas λόγος se communicavit & univit cum humanitate, ipsi suam ultimam perfectionem, hoc est personalitatem sive personalem subsistentiam, communicavit.

XIX. Quid? quod personaliter unitum esse dicat duntaxat modum hujus unionis: duæ verò naturæ sint ipsa & vera
extre-

extrema, quæ isto modo unita sunt. Ut ergo non rectè statuitur modus unionis unitus cum natura alia: Sic dicendum est, potius per hypostasim, tanquam per vinculum hypostaticum & indissolubile, divinam cum humana natura, quam hypostasim cum humana natura unitam esse, licet & illam, si concretè cum divina natura sumatur, unitam esse non negemus. Verum id nihil ad rem; cum hîc Jesuitæ Personalitatem abstractè sumant, ut à Deitate λόγος distincta, illaque communicata est; hæc verò ab ipsis communicata negatur.

XX. Quis etiam actionem modo tribuet, & non potius rei tali modo subsistenti, sive taliter modificatæ? Quia igitur Personalitas in Deo à nobis concipitur ut modus: quomodo de eâ dici poterit, quod assumerit & sibi univerit humanitatem, & non potius, quod id præstiterit divinitas λόγος, tali modo subsistens.

XXI. Verum ad id respondere videtur Becanus c. 4. q. 1. §. 6. Conclusionem tertiam proponens his verbis: *Persona Filii effectivè assumit humanitatem per potentiam activam, quæ est communis tribus personis: terminativè verò per relativam subsistentiam, quæ est illi propria.* Inde enim potest inferri, quod actio incarnationis & assumptionis sit quidem profecta ab essentia divina, quæ idem est cum suâ potentiâ; sed in eo non sit terminata, proindeque non natura divina, utpote communis tribus personis Divinitatis, sed tantum subsistentia, quæ sola Filio DEI sive λόγος propria est, cum humanitate sit unita.

XXII. Resp. cum Incarnatio Filii Dei sit suo modo opus Dei ad extra, ad illam omnes personas communi principio ac virtute agendi concurrere necesse est: sed tamen ita ut & hîc singulis suæ relinquuntur proprietates. Quod autem omnes ad ineffabile & stupendum hoc incarnationis opus concurrant, videre est, & intelligere ex salutatione & annunciatione Angeli Luc. 1. v. 35. Ibi enim 1. Altissimus, id est, Deus Pater: 2. Virtus ejus, hoc est, λόγος sive Filius: 3. Spiritus Sanctus, simul nominantur & introducuntur. Singulis tamen personis suæ partiales tribuuntur actiones. Pater enim mittit λόγος in

B

car-

carnem: Spiritus Sanctus supervenit in Mariam & massam
sanctificat & ungit: Virtus, id est, λόγος obumbrat & assu-
mit carnem.

XXIII. Quocirca actio hæc licet totaliter accepta, à tri-
bus Personis proficiscatur, & sic communis tribus Per-
sonis dici queat; partialiter tamen accepta, missio compe-
tit Patri; superadventus & sanctificatio Spiritui sancto, & tan-
dem obumbratio & assumptio carnis soli Filio. Assumptio ergò
carnis est actio determinata, ut illa tantum à Filio, non ut si-
mul à tribus personis est. Est enim assumptio illa receptio com-
munis actionis: quæ non passio est (quippe quæ in Deum non
cadit) sed actio: actio verò limitata, nempe ut proficiscitur
ab essentia sive virtute sive potentiâ divinâ, ut ea caractere
personali λόγος determinata subsistit.

XXIV. Sunt ergò duo in incarnatione respectu λόγος
tantum & non simul respectu reliquarum personarum, atten-
denda: 1. assumptio humanæ naturæ, & 2. determinatio ultima-
ta humanitatis. Ad λόγος, inquam, solum hæc pertinent, pro-
indeq; præstitit utrumque divina natura, secundâ persona Di-
vinitatis subsistens, nempe 1. assumpsit & sic sibi univit humani-
tatem; 2. suâ ultimâ perfectione, hoc est, personalitate ean-
dem determinavit ad unum incommunicabile secum consti-
tuendum.

XXV. Potentia quidem activa, qua humanitas effectivè
assumpta est, communis est tribus personis: sed tamen non sub-
sistit communis, hoc est, per communem subsistentiam: sed sub-
sistit distinctis tribus subsistentiis. Quare licet communi po-
tentiâ activâ effectivè producta sit incarnatio; tamen eadem
potentia activa & unitiva, ut secunda persona Divinitatis de-
terminata est, ac subsistit, recepit in se, h. e. in ipsam essentiam
divinam (nam potentia hæc & essentia divina *ἀπὸ λῶς πρὸς τὸ*
sunt in Deo) humanam naturam.

XXVI. Non ergò hîc tam quæstio est de effectione ut
tali, quàm de illa, ut receptio est: illo modo tribus personis
communis, & provenire à virtute activâ communi dici potest:

Hoc

Hoc verò etiam ab eadem quidem virtute activa est (cum, inquam, in Deum nulla cadat passio) sed non ut communis est, sed ut characteristicâ secundæ personæ limitata subsistit : Quare virtus illa effectiva, hoc est, ipsa essentia divina (λόγος enim non agit per potentiam ab essentiâ distinctam, sed per ipsam suam essentiam) ut limitata in secunda persona Divinitatis subsistit, peculiari ratione illam incarnationis effectivam determinavit, ut nimirum esset receptio sive assumptio humanitatis in se, id est, essentiam divinam, non inquam, ut communis est Tribus personis : sed in se, id est, essentiam Divinam, ut est essentia Filii, & hujus characteristicâ personali subsistentificata. In essentiam (dico & adhuc repeto) & Deitatem, ut Filii est, facta est receptio : Nam virtus illa recipiens ad & in se, est ipsa essentia divina : Ergò λόγος recipiens in suam personam humanam naturam, recipit illam in suam divinam personaliter subsistentem essentiam, & quidem immediatè : Cum receptio mediata locum hic nullum habeat propter λόγος & essentiæ divinæ subsistentis identitatem.

XXVII. Certum itaque est assumptionem humanæ carnis, ut assumptio est, non esse actionem communem Sacrosanctæ Trinitatis, sed secundæ personæ Divinitatis propriam. Non enim tota Trinitas assumpsit carnem & incarnata est : sed tantum λόγος est incarnatus, & ipsius divinitas humanitate sive carne quasi vestita, ut Patres locuti sunt. Divinitas n. & potentia hæc licet tribus personis sit communis, fit tamen & est per personales characteristicas cujuslibet quoque personæ propria. Ut enim *Pater in se habet vitam; sic quoque dedit Filio in se habere vitam*, Joh. 5. v. 26. Quod huic mysterio peculiare est. Aliàs commune nullius est proprium.

XXIIX. Manifestum ex his est, quod non tantum personalitas, sed ipsa quoque divinitas, ut actus purus est, carni sive humanitati communicata sit, & unita : Divinitas inquam, ut Filii est, hoc est, ut in Filii persona subsistit, nō ut Patris vel Spiritus Sancti est, & in hujus vel illius personâ subsistit.

XXIX. Quintò, Bellarminus lib. 3. de Incarnat. cap. 8. conatur demonstrare, unionem hypostaticam, consistere in communicatione subsistentiæ verbi, non in communicatione attributorum divinorum. Undè sic ratiocinamur: Quæ unio consistit in communicatione subsistentiæ verbi, & non simul in communicatione attributorum divinorum, in illâ divina essentia non est unita cum humana natura: At unio hypostatica juxta Bellarminum consistit in communicatione subsistentiæ verbi, & non simul in communicatione attributorum divinorum; Ergò unione hypostaticâ juxta Bellarminum divina essentia non est unita cum humana natura. Ratio Majoris est firma. Nam ut est unio sic communicatio, & ut hæc, sic illa. Minor est ipsius Bellarmini. Ergò & conclusio.

XXX. Sextò, idem Bellarminus tertio suo argumento ex c. i. Concilii Toletani petito, sic concludit: *Solus Filius Dei est incarnatus: Ergò unio facta est per communicationem ejus, quod est proprium Filii, non ejus, quod est commune aliis personis: sed sola subsistentia Filii est propria Filio: attributa autè omnia essentialia communia sunt omnib. tribus personis: Ergò unio hypostatica facta est per communicationē solius subsistentiæ.* Undè sic Bellarminū constringemus: Quodcunq; tantum est communicatum, illud tantum est unitum: Atqui Subsistentia sive Personalitas tantum est communicata, non simul natura. Ergò Personalitas tantum est unita, & non natura divina: ἈσεΦές. Falsæ enim inde arguuntur propositiones ῥητῶς in scriptura extantes: quod Deus est homo: quod Deus revelatus est in carne & c. Cum λόγος à Deitate dicatur Deus: proindeque Homo dicatur esse Deus, quia Humanitas cum Deitate est unita: quemadmodum Homo & Deus dicitur una Persona, quia Humanitas Personalitate λογῶς subsistit.

XXXI. Septimo. Eodem modo concludit argumento quarto: *Ergò unio hypostatica non consistit in communicatione attributorum, sed solius subsistentiæ: Ergò (rursus concludimus) non duæ naturæ in Christi persona sunt unitæ, sed duntaxat natura humana est unita cum sola subsistentia verbi.*

XXXII

XXXII. Ut autem hanc falsam suam & hæreticam opinionem de sola hypostasi ac personalitate, λόγος sine divina natura, & ejus idiomatis humanitati communicatâ, defendere possint Jesuitæ, & cum primis Becanus, distinguunt Personam sive Personalitatem τὸ λόγος ab essentia sive natura divina τὸ λόγος formaliter, asserentes personalitatem formaliter quidem humanitati unitam esse, non verò ita divinam essentiam sive naturam λόγος. Ut ergò illos in manifesto sophismateprehendamus, quærimus, in quo consistat illa formalis ratio, & consequenter distinctio, & quid illa sit.

XXXIII. Non nostris, sed Francisci Suaretz Jesuitæ verbis respondeamus, quæ extant in disputat. Metaphys. 7. de ver. distinct. grad. sect. 1. distinct. 16. ubi ait: *Nomen autem distinctionis formalis non ita mihi placet, quia est valde ÆQUIVOCUM: sæpè enim convenit rebus realiter distinctis, quatenus inter se distinguuntur essentialiter, si specie differant, habent enim diversas unitates formales, & ita etiam formaliter differunt. Imò & individua ejusdem speciei, quatenus distinctas habent unitates formales individuas, ut supra diximus, dici possunt formaliter distingui. Imò & in Trinitate Paternitas & Filiatio, quæ realiter distinguuntur, & non essentialiter, etiam secundum numerum, dici possunt formaliter distingui in objectivis rationibus relationum: qui modus distinctionis extrâ illud mysterium non reperietur. Sic ergò distinctio formalis latius patet, & major esse potest, quàm distinctio ex natura rei, de qua nunc loquimur. Aliunde verò esse potest minor, & ita est communior, quia frequenter applicatur ad rationes formales, ut conceptas & præcisas per intellectum nostrum, & tunc illa distinctio non transcendit gradum distinctionis rationis.*

XXXIV. Ergò juxta Svarium distinctio & ratio formalis, propter suam æquivocationem duplici modo accipitur: Primùm quatenus convenit rebus realiter distinctis, deindè quatenus idem est, quod distinctio rationis.

XXXV. Primo modo si Becanus sumit rationem formalem & terminum formaliter unitum & communicatum esse, tribuitque personæ, negat verò de Divina natura; tum utique

statuat oportet, divinam naturam à persona sive personalitate & hanc ab illâ ratione suâ formali sive formaliter, hoc est, realiter distingui.

XXXVI. Secundo modo si terminum accipiat Jesuita, tum reale discrimen tollit, sibi que contradicit: Ut enim hactenus defendit, tantum personalitatem immediatè ac realiter communicatam esse humanitati: Sic, hoc modo sumto termino, cogitur defendere, communicatâ personâ τὸ λόγῳ, simul immediatè, realiter, formaliter ac substantialiter (ut quidem ipse loquitur, hoc est, secundum suam substantiam immediatè) divinam quoque λόγῳ naturam humanitati communicatâ esse.

XXXVII. Ratio est manifesta: Nam quæ duntaxat ratione distinguuntur, & re idem sunt, & quidem simplicissimè idem, ut in divinis, de quibus loquimur, in illis realiter non datur, ac distinguitur primum & secundum, non mediatum, ac immediatum: quia non datur ibi ἄλλο καὶ ἄλλο, sed simplicissimum ταυτὸν, in quod nulla cadit realis distinctio: & ubi hæc non est, ibi nequaquam potest unum uno, alterum alio modo applicari & uniri tertio: sed ut applicatur & unitur uni, sic quoque unitur alteri.

XXXVIII. Quia ergò inter divinam naturam λόγῳ & ejus personam nullum omninò reale intercedit discrimen, si non major gradus distinctionis, quam quæ rationis est, concedatur; necessarium omninò est, ut realiter ac immediatè communicatâ personâ λόγῳ cum humana natura, naturam quoque divinam ipsius λόγῳ ita communicatam esse. Nam quod secundum modum concipiendi humanum, & in eo, distinguitur, & aliter atque aliter sumitur propter imbecillitatem intellectus, qui summam in divinis perfectionem perfectè non capit; ea non statim in re & quidem simplissimâ divinâ essentiâ ita distincta sunt fingenda & statuenda.

XXXIX. Ergò hoc modo quando accipit Becanus terminum *Formaliter*, à contradictione se non liberabit. In prima igitur potestate sua & significatione illum sumat oportet, ut idem sit, quod realiter: Ergò juxtâ opinionem Becani persona
λόγῳ

λόγος & divinitas λόγος realiter differunt: Quæ etiam ejus hæretica opinio manifesta est ex conclusione 1. quam parte 3. Theol. Scholast. cap. 4. q. 2. §. 3. his verbis proponit: *Natura divina nec per se ipsam immediatè nec per suam existentiam, nec per subsistentiam absolutam potest substantialiter (id est, secundum substantiam realiter) uniri humanitati.* & cap. 7. q. 3. §. 7. dicit Becanus, *Subsistentiam relativam verbi posse communicari, & re ipsa communicatam esse humanitati Christi; sed sine attributis divinis: quia relativa subsistentia non includit intrinsicè & essentialiter attributa divina: & sic neque naturam divinam: siquidem attributa divina nihil aliud sunt, quàm ipsa essentia divina. Si enim verum est, ut est, quod idem Becanus dicit ibid. §. 5. Quodlibet attributum intrinsicè & essentialiter includere reliqua; utiq; verum erit, attributa divina intrinsicè & essentialiter includere divinam naturam: & hanc, illa.*

XI. Undè sic concludimus: Quod in se intrinsicè ac essentialiter non includit attributa divina, & sic neq; naturam divinam; illud à natura divina realiter est distinctum: Atqui persona λόγος in se intrinsicè ac essentialiter non includit naturam divinam: Ergò persona λόγος est realiter distincta à sua divina natura. 2. Quod per se ipsum immediatè non potest uniri humanitati; illud realiter est distinctum ab eo, quod per se ipsum immediatè humanitati uniri potest: Atqui, juxta opinionem Becani, divina λόγος natura non potest per se ipsam immediatè humanitati uniri; Persona verò λόγος potest: Ergò persona λόγος & divina natura realiter differunt. Major est certa: Nam quorum unum sine altero esse, & aliter atq; aliter potest operari, illa inter se realiter distincta esse necesse est. In minore duo sunt: 1. *Divinam λόγος naturam non posse per se ipsam immediatè humanitati uniri.* 2. Alterum est: *Personam λόγος posse per se immediatè humanitati uniri.* Illud prius constat & certum est ex modo allegatis verbis Becani: posterius probatur. Quia idem Becanus ibid. cap. 7. q. 3. hanc Lutheranorum sententiam rejicit: *Attributa divina communicata esse humanitati in se proximè immediatè & REALITER, sicut subsistentia illi communicata est.*

XLI.

XLI. Hinc tertio ita concludo: Quorum unum est realiter communicatum tertio, alterum verò non est tertio illi realiter communicatum, illa realiter differunt: Atqui juxta Becanum persona sive subsistentia λόγος realiter communicata est tertio, nempe Humanitati; Divina verò natura & ejus attributa, quæ cum illa idem sunt, non sunt realiter communicata eidem tertio, nempe Humanitati: Ergò Divina natura & subsistentia λόγος realiter juxtà Becanum differunt.

XLII. Certum ergò est Becanum terminum *Formaliter* pro termino *Realiter* usurpare, & reale discrimen inter Personam & Divinitatem λόγος constituere. Quæ hæretica opinio tollit orthodoxam fidem. 1. de simplicissimâ essentia divinæ unitate. 2. de Personarum in illa Trinitate. 3. de λόγος Dei incarnatione & unione duarum naturarum in Christo.

XLIII. Simplicissimam unitatem, imò ipsum Deum tolli, facile probatur. Sic enim argumentamur: 1. Quicumq; tres personas ab essentia divina realiter distinguit, & simul tres illas personas & divinam essentiam facit unum Deum; ille Deum facit compositum ex tribus personis & essentia divina, & sic simplicissimam DEI unitatem tollit: Atqui Becanus tres personas ab essentia divina realiter distinguit: Ergò Becanus Deum facit compositum ex tribus personis & essentia divina, & sic simplicissimam Dei unitatem tollit, & hæc sublatâ, Deum verum negat. 2. In quo dantur realiter distincta unum constituentia, illud ex distinctis illis est compositum, ac proinde non est simplicissimum & simplicissimè unum: At juxtà Becanum in Deo dantur realiter distincta unum constituentia, nempe unum Deum: Ergò Deus ex distinctis illis juxtà Becanum est compositus, ac proinde non est simplicissimus & simplicissima unitas. 3. Quodcumq; realiter distinctum est à divina natura, illud non est Deus: Atqui juxtà Becanum Persona λόγος est realiter distincta à divina natura λόγος: Ergò Persona λόγος non est Deus. At Persona τῆς λόγος ab æterno fuit in Deo: Ergò ab æterno aliquid fuit in Deo, quod non fuit Deus: 4. Quod non est Deus, illud non est æternum: Atqui persona, quæ

quæ ab æterno fuit in Deo, non est Deus. Ergò persona, quæ ab æterno fuit, non est æterna. Manifesta contradictio & ipsius Dei negatio.

XLIV. Deindè tollit Personarum Trinitatem. Nam ubi dantur quatuor realiter distincta, ibi datur non tantum Trinitas, sed quaternitas: In Deo dantur juxta Becanum quatuor realiter distincta: E. juxtà Becanum in Deo non datur Trinitas, sed quaternitas. Major suâ luce est manifesta. Minor probatur. Dantur enim in Deo tres Personæ inter se realiter distinctæ: & Divina natura realiter distincta à tribus illis Personis. Quæ autem realis distinctio intelligi ac dari nequit, nisi fingatur quarta aliqua subsistentia absoluta, cum in Deo non detur reale discrimen, quin sit personale: Quare licet Becanus hanc neget libro sæpius allegato *cap. 4. q. 2. §. 5.* tamen hoc concesso formali sive reali discrimine, illam quoq; concedere cogitur. Et sic in Deo erunt quatuor Personæ realiter distinctæ: Tres relative, & quarta absoluta.

XLV. Tolli quoq; opinione hæc Jesuiticâ ipsam λόγος & ipsius Dei incarnationem patet ex hætenus disputatis; & ex abundanti sic ex datis hypothesis Becani probatur. 1. Qui cunq; humanitati non est realiter unitus, ille non est incarnatus: Deus Humanitati non est realiter unitus: E. Deus non est incarnatus. Major est certa: Minor quoq;: Quia natura divina, quæ ipse Deus est, juxta Becanum humanitati non est realiter unita. 2. Quæ realiter non sunt unita, illa inter se veram ac realem unionem non habent, nec in vera ac reali unionem subsistunt. Atqui Divina ac humana natura juxtà Becanum realiter non sunt unitæ. Ergò juxta Becanum Divina & humana natura inter se veram ac realem unionem non habent, nec in verâ ac reali unionem subsistunt.

XLVI. Bellarminus in præfat. in lib. 1. de Christo reprehendit Philippum Melancthonem phrasi illâ, *Aliquid Dei sive divine nature*, utentem, quando in locis communibus dicit: *Necesse est in Filio aliquid esse divine nature*: Et rursus; *Necesse est in Christo aliquam esse divinam naturam*; & ex his colligit Jesuita, Philippo aut multas esse naturas divinas, habereq; quod volunt,

C

Trinit-

Tritheitas, aut certè multas esse partes divinæ naturæ, eamq; esse antiquam illam hæresin aliquanto Arrianâ absurdiorē.

XLVII. Si ergò propter illas phrasēs Philippus Hæreticis Tritheitis, vel omninò illis, qui multas partes divinæ naturæ statuerunt, iudicio Jesuitæ annumerandus est: qui tamen facile excusari potest, cum ita loquatur, non respectu simplicissimi λόγος, sed respectu compositæ Personæ Christi, quæ composita est ex aliquo, quod est Dei, & aliquo, quod est Homini; Ergò multorum crassissimorum absurdorum meritò accusantur & conuincuntur ipsi Jesuitæ, qui aliquid in Deo, quod realiter à divina natura distinctum, & sic Deus non est, esse dicunt, proindeq; revera in Deo non tantùm distinctas partes ponunt, sed etiam illum, qui simplicissimus est & nullo modo compositus dici potest, vel saltem cogitari, ex Deo & non Deo componunt.

XLIX. Interim nos strenuè Hæreticis illis opponimus & contradicimus negantes Personam sive subsistentiam λόγος realiter atq; ita distinctam esse, ut ipsa realiter uniri possit humanitati, non realiter unita divinâ λόγος naturâ. Nam licet reale discrimen sit inter Personas Divinitatis, ita ut una Persona non sit altera, Pater non sit Filius, & Pater ac Filius non sit Spiritus Sanctus: tamen inter divinam naturam & personas tres nullum est reale, sed vix rationis discrimen. Unica enim illa simplicissima ac impartibilis indivisibilisq; Divina natura nihil est aliud, quam tres illæ personæ, & tres illæ personæ nihil sunt aliud, quam unica illa simplicissima, impartibilis ac indivisibilis Deitas. Una autem persona seorsim sumpta dici quidem potest *ratione* distingvi à divina illa natura; cum, etiamsi sit ipsa divina natura; non tamen tantùm, cum & ceteræ personæ in illa ipsa natura indivisibiliter subsistant: nequaquam verò persona etiam seorsim sumpta ac considerata dici potest *realiter* distingvi à natura divina: cum nullam aliam habeat entitatem aut essentiã, quam illam ipsam divinam naturam: nullumq; aliud Ens sit, quã illud, quod Deus est; ut ita planè ἀδιαιτόν sit & contradictoriũ, statuere Personam unitam & communicatam esse humanitati, divinam verò naturam non item. Si Jesuitæ in tam crasso absurdo nos deprehenderent, ad orcum, quod alias sine causa faciunt, nos damnarent.

XLIX. Verum ut ut etiam Jesuitæ Personam sive subsistentiam à Deitate distinguant; neq; tamen ipsam seriò statuunt unità & communicatam esse humanitati: cum illam non in actu primo, sed tantum in actu secundo, quoad ἐνέργειαν communicatam esse sophisticè defendant, quando unionem hypostaticam ita definiunt, ut differentia loco ponant humanæ naturæ in filio Dei sustentationem.

L. Et Gregorius de Valentia loco antea allegato: *Perspicuum itaq; est, inquit, Scholasticos atq; orthodoxos Doctores non absolute negare, quin Verbi energia & plenitudo divinitatis realiter sit assumptæ naturæ communicata.*

LI. Verum Scholasticus hic error dudum à Luthero refutatus est: Et res ipsa loquitur personalem actum primum nequaquam definiendum esse per actum secundum ἐνέργειας & sustentationis: quæ sustentatio etiam de aliis creaturis verè dicitur Act. 17. v. 28. *In ipso vivimus, movemur & sumus.* & Hebr. 1. v. 3. Taceo quod hæc sustentationis ἐνέργεια sit communis omnibus tribus Trinitatis personis; Unio verò hypostatica in sola Filii Dei Persona est facta, in qua humana ejus natura subsistit, non in Patris, neq; in Spiritus Sancti Persona. Nam Verbum, non Pater, non Spiritus Sanctus, caro factum est, Johan. 1. vers. 14.

LII. Taceo, si tantum hypostasis, vel etiam duntaxat ejus ἐνέργεια, & non Deitas, humanitati est unita, tum (uti id quoq; supra attigimus) falsæ erunt propositiones hæ, in Articulo de persona Christi usitatissimæ: *Deus est homo: Filius hominis, est filius Dei vivi*, Matth. 16. v. 16, neq; potuisset Thomas ad Christum à mortuis redivivum dicere: *Domine mi, & Deus mi*, Johan. 20. v. 28. neq; Maria esse & dici Mater Dei. Hæ, inquam, & similes prædicationes falsæ essent, si naturarum, divinitatis & humanitatis, communicatio sive unio negetur. Quod enim est affirmatio in propositionibus, id est unio in rebus: & hæc est fundamentum illius; Ubi ergò unio in re non est, vera affirmatio de illa in propositione non est; Ubi autem hæc in propositione est, ibi quoq; in re vera sit unio necesse est.

LIII. Quia igitur rectè & verè in ejusmodi personalibus pro-

propositionibus concretum unius naturæ, vel ut alii efferunt natura una prædicatur de altera in concreto, in sane fieri non posset, si nõ esset illarum realis unio. Hinc etiam rectè dicim⁹, *Filius Dei assumpsit humanam naturam : Humanitas est assumpta in Deum*, & *Filius Mariæ est filius Dei* : quia nimirum humana natura est assumpta in filium Dei & in ipso subsistit : Non verò rectè dicitur λόγος sive verbum esse Filius Dei propter unionem personalem : cum sit Filius Dei per æternam à Patre generationem.

LIV. Judicet igitur, qui iudicio non caret, an non Jesuitæ à doctrina Augustinæ Confessionis, tempore exhibitionis à Pontificiis probata, ac proinde ab ipsa veritate, desciverint : & annon sibi contradicendo unionem duarum naturarum hypostaticam in Christo negent, & Nestorii errorem defendant.

Ad Dn. Respondentem.

EX orco revocans hodie Jेषuitica passim
Lojolarum propudiosa cohors;
Sparserat hæreticè quæ turba Scholastica quondam,
Vindice Luthero, dogmata prava pio:
Nestora Nestorium vivendo vincere posse,
Innuit, & socios querere velle novos.
Sed superat Dominus; Jacobus vescitur aurâ
Martini, Verbo clarus & ingenio:
Tertius, his ducibus, moturus prælia, prodit,
Dux Lojola, tuis, hæresiarcha tibi.
Maeste, Heübere, animo; felix in prælia surge:
Præmia quanta ferent prælia tanta tibi!

Amicitiaë causâ gratula-
bundus apposui

AUGUSTINUS LISTZHAIMERUS.

99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092





SB

Repro

VD 77







6

ATIO SEXTA
 m Confessionem
 ntinens
 ARTICULI III.
 De
 E HYPO-
 TICA,
 roposita
 demiâ wittebergensi,
 S I D E
 ARTINI, SS. Th.
 Professore Publ.
 ONDENTE
 HEUBERO
 nio Franco.
 Minori ad diem
 Octobr.

E B E R G Æ
 OMONIS AVERBACH,
 DC XXVIII.